4° Diss 3803/18.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

CARNE FERINA

Vom Wildprát

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALE

PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE IMPETRANDI

d. XI. MAII. MDCCXXXV.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET

AVCTOR RESPONDENS

GEORGIVS VRBANVS BELTZ

WERNIGERODENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO S. R. I. COMITI AC DOMINO

DOMINO CHRISTIANO ERNESTO

COMITI STOLBERGÆ KOENIGSTEINII ROCHEFORTI WERNIGERODÆ ET HOHENSTEINII DYNASTÆ EPSTEINII MVNTZENBERGÆ BREVBERGÆ AIGMONTI LOHRÆ KLETTENBERGÆ

EQVITI TORQVATO AB AQVILA NIGRA BORVSSICA NVNCVPATO CETERA

COMITI AC DOMINO SVO LONGE GRATIOSISSIMO ET IN LIBERALIVM ARTIVM CVLTORES PROPITIO

DISSERTATIONEM HANCCE INAVGVRALEM

CONSECRAT

ILLVSTRISSIMI COMITIS AC DOMINI CVLTOR SVBIECTISSIMVS

GEORGIVS VRBANVS BELTZ.

ILLVSTRISSIME S. R. I. COMES COMES AC DOMINE GRATIOSISSIME

SI quid eſt in rerum natura, quod PRINCIPVM MAGNATVMQVE animos, curis ac meditationibus profundiſſimis diſtentos, diſtractos ac labefactatos reficere, colligere atque redintegrare valet, id non immerito ſunt loca a multitudine hominum ſeparata & aliena; Inprimis autem amoeni ſiluarum nemorumque tractus; vbi nimirum, cælo fauente ſere-

ſecreto, ſub aura temperata, virentibus arboribus & fruticibus, florentibus herbis, mirabilis figuræ colorumque diuerſitatis, ſenſuum delectationem quærunt. Vt autem ibidem loco[rum] tuti ſint ab imbribus aliisque aeris iniuriis, & diuerſiones eorum commodiores, conſpectusque eo iucundiores; extruxerunt hunc in finem peculiares SECESSVS. Quales inter eminent, & quidem in Germania, LAXENBVRGVM EBERSDORFIVM & SHOENBRVNNA, in commodum inuictiſſimi noſtri Imperatoris CAROLI VI. prope Viennam ſiti; dein Regis Angliæ haud procul ab Hannouera arx, HERRNHVSA dicta; tum Regis noſtri potentiſſimi FRID. WILHELMI POTSDAMIVM ORANIAEBVRGVM ET CHARLOTTAEBVRGVM; porro Sereniſſimi Ducis Brunſuicenſis, inter Guelpherbytum & Brunſvvigam ſita SALZDAHLIA; nec minus in THVRINGIA, ETTERSBVRGVM in monte ſiluatico, Ettersberg dicto, in tractu Vinarienſi ſitum; & prope Iſenacum VALLIS WILHELMI, ſita in valle media ſiluæ amæniſſimæ; itemque arx, in ſummo monte Enſeltberg extructa, ENSELTBVRGVM; prope Gotham FRIDRICHSWERTHA Ducis S. Gothani vbi ſimul hortus amaniſſimus eſt cum ſacellis: quibus TVA quoque, COMES ILLVSTRISSIME, SEDES ÆSTIVALIS, palatium admirabilis ſtructuræ, incomparabilis-

bilis-

bilisque pulcritudinis; e cuius regione ſitum eſt vivarium montoſum ampliſſimi ambitus, ex quo conſpiciendum ſe præbet damarum diuerſicolorum turmatim paſcentium agmen, annumerari meretur, cuius HORTVS nitidiſſime pretioſiſſimèque excultus, exoticiſque plantis refertiſſimus, iure meritoque PARADISVS ALTER appellandus, quia ſummi rerum conditoris vox, tum per prædicationem verbi diuini frequentiſſimam, tum per naturæ miracula, divini numinis omnipotentia, immenſa ſapientia atque benignitas ibi quotidie auditur ac concelebratur, quæ à rebus creatis auocamur ad creatorem ipſum pio pectore venerandum. Iucunditati huic ſuccedunt VENATIONES, tamquam motus corporis voluntarii concitatiores, cum deſiderio lætiſſimo feras atque volucria cæli capiendi ictuque percutiendi. Quanta hæc ſit voluptas, ex eo facile videre eſt, quod pari ratione Principes atque Magnates huic vitæ generi ſubinde ſe totos tradant, ita, vt hoc occupati, cetera animi corporiſque delectamenta, epula delicatiſſima, ſomnumque alias dulcem ſubinde oblivioni tradant, per ſiluas etiam montoſiſſimas, per arbuſta & ſpineta, per ſaxoſa & aſpera, modo huc modo illuc, modo ſurſum, modo deorſum curſitando, cum ſudore faciei, alias moleſtiſſimo, longum iter faciendo, præſertim, quum tempore æſtiuo, cervo ſæpe tantum vnico, vel rupicapra e ſcopulo in

ſcopulum tranſcendentibus; diu noctuque, immo licet ſæpiſſime conatus, immo ſubinde maximo cum vitæ periculo inſidiantur, cuius rei luculentiſſimum exemplum inuictiſſimus quondam Germanorum Imperator MAXIMILIANVS I. memoriæ reliquit.

Vſum denique ſiluaticum, quem VENATIONES porrigunt, quod concernit, culinarem ac medicum; carnes ſiluaticarum & reliquas ferarum partes, hunc in præſenti diſſertatione inaugurali pro inſtituti ratione vberius expoſui. Quæ tractatio exoptatiſſimam dedit, occaſionem mihi, qui venatoria ſtirpe oriundus, TIBI ILLVSTRISSIME S. R. I. COMES Domine gratioſiſſime, primitias ingenii mei perexigui, in publicum editas, conſecrandi. Eſt mihi namque domi parens, ſeruus TVVS ſubiectiſſimus, ſaltuum Regiæ Majeſtatis Boruſſicæ, in dynaſtia Haſſerodenſi, præfectus, cui MVNIFICENTIA TVA incredibilis clementiſſime demandare officium venatoris ditionis iſtius non dedignata eſt, quique, adiuvante diuina gratia, per viginti, & qui excurrunt, annos hoc ſubiectiſſima fidelitate defunctus; cui, eiusque ſoboli, vt porro clementiſſime faueas, eumque, per incendii fatum, afflictum & labaſcentem gratioſiſſime ſuſtineas, eſt quod TVAM, quæ excellit, clementiam ſubiectiſſime precor. Ceterum nil reſtat, niſi, vt votis ardentiſſimis hoc dedicationis meæ deuotiſſimæ opus claudam; benigniſſimum nu-

numen pro TVA, Domusque TVÆ Illuſtriſſimæ ſalute atque incolumitate implorando. Faxit Deus T. O. M. vt TV, COMES ILLVSTRISSIME, integræ ſanitati proxime reſtituaris in domus Illuſtriſſimæ gaudium, Patriæque deſiderium, atque cum Illuſtriſſima TVA coniuge, Domina mea clementiſſima felicitate ſempiterna fruaris. Faxit quoque, vt gnati TVI, Excellentiſſimi Comitis HENRICI ERNESTI ſtudia, in muſarum hac Salanarum ſede, omnesque eius ſaluberrimi conatus ad finem exoptatiſſimum perducantur, in ſummi Numinis gloriam, Parentum Cognatorumque celſiſſimorum gaudium ac ſolatium, Patriæ ſpem, clientum votum ſubiectorumque ſalutem, Viuas, Comes illuſtriſſime; Viuat Illuſtriſſima Coniux; Viuant natus natæque illuſtriſſimæ; Perpetuetur regimen ſaluberrimum & felicitatis omni genere florentiſſimum! Deus annuat votis.

Dabam Halæ Salicæ ad d. X. Maii

A. O. R. CIↃ. IↃ. CC.XXXV.